

ac triremibus amissis, confugiendum erit: quæ spes reficiendæ classis? quisnam currenti victoriæ frenum injicet, ne universæ maritimæ oræ statim, cunctis destituta subsidiis, in hostium potestatem concedant, Hæc vero te, inquit, Capelli, eo magis dispicere, atque oculis subjecere oportet, quo tuæ Republicæ, de cuius imperio, ac libertate agitur, majora, & certiora pericula imminent. Ad ea Capellius, Injunctum sibi a Senatu, inquit, ut, pugnandi opportunitate oblata, cum hoste configeret: ab illius jussis se recedere minime posse: ingentes Deo immortali, ac Cælitibus gratias agere, quod præclaram adeo nuviter gerendæ rei occasionem obtulissent; egregios animorum impetus & pro reipublicæ christianæ gloria, ac salute suscepitos conatus, cum optimo jure niterentur, optima in spe fortunatos, ac prosperos eventus non sine ingenti illorum gloria consequuturos: quod vero ad se spectaret, nulla pericula formidaturum, omnes labores fortiter, atque intrepido animo subiturum. Idem Grimani legati consilium, atque ardor erat. Auria, illorum auditis sententiis, Quod faustum, felixque sit, inquit, hostem, Deo favente, aggrediamur; ausus nostros fortuna secundet. Tunc vexilla ad prælium ineundum tolli, atque explicari jussit, sua acie primos impetus in hostes se editurum pronuncians.

Ingentibus cunctorum plausibus, ac summi gaudii significationibus prælii committendi signa excepta sunt, victoriæ spe sublatis animis, quam ut sibi haud ambiguam pollicerentur, tum foederata classis, militari disciplina instructa, amplitudine, atque apparatu terrifica, tum crebri de Turcarum virium imbecillitate nuntii efficiebant, ut illos inani ostentatione contentos pugnam non excepturos, sed in easdem fauces reddituros crederetur. Itaque singuli ad pugnam se comparare, munera militaria strenue obire; duces adhortando, & suadendo incitare: Nunc opima hostium spolia, nunc militaria decora ob oculos ponere: hostes navigiorum numero, ac viribus, militum virtute nostris haud pares esse: jam quid possent satis patuisse, cum e fauibus Ambracii sinus egressi, perterrefacti, perturbatis ordinibus, conferti sese receperere: nullam illis spem, nisi in tuto ad suas regiones receptu esse: quod illis omnes virtutis nervos elideret, optatam, ac

Fœderatorū
ducum de
certamine
ineundo de-
cretum.